



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

vers. 23. 24. 25. 26.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)



quam omnia dilapidare. Iuuenem tamen longe à le-  
gis oblatione fuisse dicit affixum diuitiis, concu-  
piscenria flagrasse, cum in otio & umbra vixisse, nun-  
quam vel minimo gustu concepisse, quid esset vete-  
rum hominem crucifigere, & domare carnis cupidita-  
tes. Quomodo talem igitur amare dominus po-  
tuit, hominem tam scelestum qui nullam cupidita-  
tem, non auariciam, non cupiditatem, non libidines  
non superbiã vnquam domuit? si enim non do-  
muit obsecutus est, quomodo igitur talis se iustum su-  
spicari potuit? aut quomodo vnquam illi defuit ad per-  
fectionem, & hoc vnquam non lege sancitum, sed consi-  
lío oblatum; si nihil illi ad summam nequitiam de-  
fuit. Denique Caluinus vers. 22. Illud quod Chri-  
stus iussit vendere omnia, non fuisse additamentum  
ad legem, sed probationem latentis vitii, in lege non  
tenebatur vendere, non erat vitiosum tenere velle,  
quod nec Christus vendere iussit. Calumniatur Mo-  
nachos: ac illos Christus defendit, nam vendiderunt  
omnia, & pauperibus dederunt. Quibus domi pa-  
rum fuit, omnia deseruerunt, cum facultatem & spem  
plura acquirendi sibi præciderunt. Non defuit tam-  
en qui luculenta patrimonialia, atque principatus &  
regna deseruerunt. Talem Christus instruit, ablatam  
pecuniam & commodorum suorum contemptorem,  
& ne onerosum sit præmia proponant. Eleganter  
Chrysostomus, *Perpiscis quot brauia, quot coronas huic  
spatio proponit? si autem ille tentasset, hæc ei non diceren-  
tur: nunc vero & hæc illi manifestantur, & vt alliciat in-  
genium in mercedem futuram ostendit, & voluntati eius vn-  
uer seruauit. Ita his omnia ne onerosa videretur admo-  
nitio, iudice sublebat; ac ideo antequam certaminis laborem  
ostenderet, brauium præ oculis posuit dicens: si vis perfectus  
esse: vende omnia quæ habes & da pauperibus:*  
*& iterum præmia inculcat: Et habebis thesaurum in celo,  
& veni sequere me. Non enim parua retributio est, dili-  
genter Dominum sequi. Et habebis, inquit, thesaurum in  
celo. Nam quoniam magna illi cura de pecuniis erat, &  
quandocumque ipsum cunctis denudari rebus consulebat vt o-  
stendat non amissurum bona sua, sed tanto plura, maioraque  
momentum, quam in terra celo præstabilius est, retributi-  
onis præstantiam thesaurum appellat, & simul stabilita-  
tem atque incorruptibilitatem præmii, vt fieri poterat huma-  
no verbo significare expressit. Non ergo satis est pecuniam sper-  
nare, verum etiam oportet pauperibus opem ferre, & ante o-  
mnia ipsum Christum sequi assequer: id est, omnia re ipsa  
prætere, que ad ipso iubentur, paratissime semper esse, tam  
libere subire, quam omne genus mortis sufferre.*

VERSUS 21.

At illi Iesus: Si vis perfectus esse,  
vade vende quæ habes, & da pau-  
peribus, & habebis thesaurum in  
celo: & veni, sequere me.

QUESTIO I.

An perfectionis sit vendere omnia, & sequi  
Christum?

S. 1. Christus expresse dicit: Si vis perfectus esse  
vade, ita vt nihil desit, vende quæ sunt tibi, & da pauperibus, & habebis  
thesaurum in celis. Perfectum itaque hoc loco est,  
cui nihil desit, ita Syrus מְרַא גְמִינָא, quod est רְ-  
גָוָה & hinc vocant holocaustum מְרַא גְמִינָא, quod  
per te totum Deo offeratur. Beza è contrario ver-  
ba Christi non declarare, in quo per se vita æterna  
constat, cum hæc vocatio non sit vniversalis; sed

huc spectare, vt illum falsa iustitia spe deceptum re-  
dargnat. Glossam Bezae textus refutat. Voluit Chri-  
stus docere adolefcentem quid deesset; amabat enim  
eum, nec hypocrisis arguit, sed quod verum est, e-  
nunciat, si vendat & det pauperibus, habiturum in  
celis thesaurum.

S. 2. Panperes de Lugduno, etiam præceptum ge-  
nerale Christi exhortationem continere tradebant,  
ideo neminem nisi pauperem saluari non posse, qua  
quidem in re grauius errarunt, non enim lex vlla hoc  
præcipit, sed perfectio horatur; & cum obseruata le-  
ge perfectum & consummatum vellet ostendere: Si  
vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da e-  
genis, & habebis thesaurum in celis, & veni sequere me.  
In quo thesauri positio est vta æterna abundantior,  
quia, qui se omnibus spoliat propter Christum, ho-  
norator erit cum eo in gloria. Quæ madmodum post  
victoriam omnium communis est læticia, quorun-  
dam tamen; quorum opera præcipue euenit, maior  
est gloria, præmia, & donatiua singularia. Horatur  
igitur illum ad id, quod perfectum est, dæpo huc, se-  
quere me.

S. 3. Nec Abraham, nec multi viri sancti, hodie id  
faciunt. Et perfecti tamen sunt. Respondendum est:  
Multos charitate ardentissima perfectos esse, qui ta-  
men ad aliquam particularem perfectionem non sunt  
obligati, alii ad statum perfectionis sese obligarunt,  
nec tamen tam insigni caritate sunt præditi, ideo im-  
perfectiores, qui autem utroque pollent genere per-  
fectionis, sine dubio excellunt. Vide D. Thomam  
2. 2. q. 184. art. 4. Vno modo Abraham perfectus fuit,  
nam quanta Deum caritate diligeret, filium offeren-  
do demonstrauit. Quoniam omnia etiam deserere para-  
tus erat, qui filium immolare voluit. Nec parum esti-  
mandum, quod egisset de cogitatione, & domo pa-  
tris, suis se rebus fere abdicauit.

S. 4. Non consistit tamen omnis perfectio in eo,  
vt omnia vendant, aut abiciant, vt Crates fecit: sed  
oportet Christum imitari. Augustinus lib. 50. homi-  
liarum. homilia 35. cap. 8. & c. 9. perfectum non fuisse  
cum sequeretur ad passionem, tertium enim voce  
ancillæ negasse.

S. 5. Abit, non quia mendacii conuictus, sed quia  
opes amabat, λυπέσθη. & vero abit, cum afflictione &  
angore; Syrus agre tulisse affirmat, mœstia affe-  
ctum, quæ aliquam traheret indignationem. Non ta-  
men ideo contra aliquam Dei legem peccauit, cum  
nulla iuberet omnia vendere.

VERSUS 23. 24. 25. 26.

Iesus autem dixit discipulis suis: A-  
men dico vobis, quia diues difficile  
intrabit in regnum cœlorum. Et  
iterum dico vobis: Facilius est ca-  
melum per foramen acus transire,  
quam diuitem intrare in regnum  
cœlorum. Auditis autem his disci-  
puli mirabantur valde, dicentes:  
Quis ergo poterit saluus esse? Aspi-  
ciens autem Iesus dixit illis: A-  
pud homines hoc impossibile est: a-  
pud Deum autem omnia posibilia  
sunt.

QUESTIO

Handwritten marginal notes in red and black ink, including the word "Euangelium" and other illegible text.



## QVÆSTIO I.

## An impossibile sit diuitem saluari?

§. 1. Similitudine docet Christus, quam sit difficile diuitem saluari, nempe facilius esse camelum ingredi per foramen acus, quam diuitem in regnum cœlorum. Camelum ob analogiam funem nauticum nonnulli interpretantur, alii acum putant vocari portam Hierosolymitanam, quæ humilis sit & angusta, quæ proinde cameli transire non possint. Nō desunt qui camelum aliquando Elephantum sunt interpretati, vt Drusius, atque ita tota comparatio varie discerpitur. Non est tamen dubium, rem impossibilem prouerbiali locutione designari: plus autem habet, quo maior est difficultas & euidentior, quæ est in camelo quod est animal, & foramen acus proprie dictum. Deinde Scholastes Aristophanis καμηλοσκαπίον vocat per iota, non per eta scriptum, funem. Denique locutus est Christus Syriace, quo in textu est *כַּמֶּלֶם* camelus animal, non funis, atque eodem modo prouerbum citant Thalmudici.

Camelus.

§. 2. Calumniosum est, quo Calvinus huius versiculi expositionem concludit. Hoc autem Christi responso, vulgare illud axioma, quod ex Hieronymo hauserunt Papiste, resellitur. Quisquis legem dixerit obseruatu impossibilem, anathema sit. Clare enim pronunciat Christus possibile non esse hominibus viam salutis tenere, nisi quaerens illis Dei gratia succurrat. Quid opus est tam caute-riata conscientia, & tergo, alienum nobis crimen impingere? anathema sit, si quis dicat sine Dei gratia succurrente legem posse obseruari, sine fide impossibile est placere Deo. Fides autem est ex gratia Dei. Nemo nostrum aliter hoc axioma intelligit. Hoc clamamus, hoc integris libris docemus. Hoc concilio Trident.

§. 3. Apud Marcum 10. 24. cum respiciens hæc Iesus pronunciat, addit ille v. 25. Difficile est eos qui fiduciam habent in pecuniis ingredi in regnum cœlorum. Copia enim facit, vt opibus fidant, deinde vitis alimenta ministrent.

O quam difficile est opibus non tradere mores.

Opibus affectus inceduntur.

Obruuntur diuites magna cura & cupiditate, vt non nisi difficillime possint eludant. Chrysostomus. Non pariter certe hac passione opprimuntur, qui pauca possident, & qui magna rerum copia obruuntur: tunc enim violentior fit ipsa cupiditas. Nec vnaquam magna voce predicare cessabo accessione pecuniarum cupiditatem habendi magis atque magis adeo inflammari, vt rerum copia crescente, paupertas quoque augetur. Nam qui maiori desiderio ardent, egere se magis sentiunt. Perspicit igitur quanta passionis huius vis sit, cum magna diues ille Christum latitiam adisset, ita suffossus, atque obrutus fuit, quia eliciendam pecuniam audiuit vt nec respondere quidem potuerit, sed tristis ac mœstus pressus decesserit. Hec vero tantopere Christus inculcat, ne opes quaerantur, ne probro paupertatem ducamus. Denique hoc Dei opus esse ait, vt ingenti gratia dono ad hanc rem opus esse ostendat. Quo magis admiror hereticorum proteruitiam, qui castitatem vouere temerarium censent, quod donum Dei sit: ad diuitias autem tendunt, cum non nisi ingenti dono Dei, opes & salus simul constent. Cur igitur se tam magna gratia donatos arbitrantur vt opibus pares sint, non putent alios posse habere donum castitatis?

§. 4. Græce dicitur ἐξουθενήθησαν, obstupuerunt, expauerunt, quasi sibi exciderunt. Mirum enim in paradiso videbatur, diuites regno cœlorum excludi, cum populo suo Deus, & patriarchis diuitias rarias dedisset, cum plerique paupertatem, vt onus miserum & graue fugerent, vt autem multi diuites essent, alii diuites esse appetent, plerique videbantur regno cœlorum excludendi. Ideo querunt, quis potest saluari? Responder Christus, vt nec eos omaino deiiciat,

nec tamen salutem diuitibus facilem esse concedat, apud homines hoc esse impossibile, apud Deum tamen possibile, nam facere hoc potest Deus, sed nouo & inusitato miraculo, ita vt quasi pro monstro & rarissimo tenendum sit, si diues ingrediatur in regnum cœlorum. Pauperibus & diuitibus ex æquo impossibile est, sine gratia saluari, sed opus est diuitibus peculiarissima gratia, ad impedimenta diuitiarum amouenda, adeo vt nisi extraordinaria gratia saluari nullo modo possint. Nā qui est in grauissima tentatione, opus habet maiori auxilio, quam in leui, & raro illi resistitur. Mira res, diuitias etiam grauius tentare, quam persecutores, Nam quod de tyrannorum tormentis non dicitur, illi de opibus dicitur. Chryso. Apostolos admiratos, & attonitos fuisse non sua causa, vt qui omnia desiderant, sed aliorum quos amabant, iam enim patrum eos viscera suscepisse. Ipsi enim iam difficultatem sperant, relictis omnibus quæ possederant. Alios detineri viscosa diuitiarum tenacitate & pluitibus mergi cernebant.

§. 5. Cum negant Calviniani magnum camelum à Deo traduci posse per foramen acus, Deum nature legibus alligant, id eum negant posse quod natura fieri non potest. Nec propositum Dei, & constantia Dei hic ad rem facit. Quæstio est enim quid possit, non quid velit Deus efficere.

§. 6. Beza diuites non omnes, sed eos qui à diuitiis pendunt, regno cœlorum excludi docet, omnes autem hoc facere, nisi quorum Deus mentes immutauit. Hinc concludit, diuitem verè mutatum, posse ingredi, & camelum ita posse facere gracilem, vt per foramen acus ingrediatur. Deinde concludit in christo esse, qui ex hoc colligunt, Deum efficere posse, vt Christi corpus manens verum corpus eodem tempore, siue multis, siue omnibus locis sit essentialiter. Neque tamen cum hoc negamus Deum nature legibus alligamus, sed in suo proposito semper eundem esse dicimus.

Respondeo, adduci hoc argumentum ab orthodoxis. Vt Dei potestatem in mutandis creaturis ostendant. Bellar. lib. 3. de Eucharistia, c. 6. Commune autem omnibus est, non modo diuitibus, non posse saluari nisi Deus animos immutet gratia sua præueniens & adiuuans. Falsum autem est, similitudinem in eo consistere, vt quemadmodum Deus camelum extenuando ita minuire potest, vt per foramen acus transeat, ita quoque diuitem mutando, & efficiendo, vt à se totus pendeat, saluare. Nihil enim mirum est, camelum minutissimum posse transire, sed agitur de camelo magno, cuius natura & moles permaneat, & de diuite est in manent opes. Itaque camelus magnus transire foramen acus, quantitate eius & mole sic affecta, vt ad locum non habeat extensionem, & ille camelus transire, quem transire est impossibile apud homines. Non alius paruulus instar pili camelini. Diues etiam manet, sed animo mutatus, vt eum diuitiæ non impediunt, alioqui facilius diceretur, Deum camelum posse per foramen acus traducere, si foramen ita ampliatet vt cameli capax esset, hoc certe minoris videntur negotii quam camelum extenuare, fieri igitur salui possunt etiam diuites.

§. 7. Hinc & illa quæstio Hilarii ad Augustin. & responsio Epist. 89. Verum tamen magister bonus mandata legis, ab illa excellentiore perfectione distat. Ibi enim dixit: Si vis venire ad vitam serua mandata. Ille autem: Si vis perfectus esse. Vade, vende omnia quæ habes, &c. Cur ergo negamus diuites, quamuis ab illa perfectione abint. Venire tamen ad vitam, si mandata seruauerint, & dederint vt detur illis, & dimiserint, vt dimittatur illis? Quiniam hereticorum expositionem resellit, qui diuites dicebant venditis possessionibus



tibus saluari posse, sed ideo inquit hoc dictum est, quia futurum erat, ut audito Evangelio diuites vendito patrimonio erogarique pauperibus dominum sequerentur, & intrarent in regnum cœlorum, atque ita heret quod d. ficile videtur, non ut manentes in diuitiis suis, præcepta Apostoli custodiendo, id est, non superbe sapendo, neque sperando in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, benefaciendo, facile tribuendo & communicando indigentibus, verâ apprehendant vitam, sed etiam ista præcepta Apostolica venditis omnibus suis rebus implerent. Hæc si dicunt scio quippe eos illa dicere, non attendunt primitus, quemadmodum Dominus contra eorum dogma suam gratiam prædicauerit. Non enim ait. Quod hominibus impossibile videtur, facile est hominibus si voluerint: sed, quod hominibus inquit impossibile est, Deo facile est: ostendens quando ista recte fiunt, non fieri hominis potentia, sed Dei gratiâ. Hæc ergo attendant illi, & si reprehendant eos qui gloriantur in diuitiis suis, caueant ipsi in sua virtute confidere, simul enim veritque reprehendantur in Psalmo. Qui confidunt in virtute sua, & qui in abundantia diuitiarum suarum gloriantur. Audiant itaque diuites. Quod hominibus impossibile est, Deo facile est, & siue manentes in diuitiis suis, siue illis venditis & per indigentias pauperum distributis, intrent in regnum cœlorum, gratiæ Dei tribuant, non propriis virtutibus bonum suum. Quod enim hominibus impossibile est, non hominibus, sed Deo facile est. Audiant hoc & isti, & si iam omnia sua venderunt, & pauperibus tribuerunt, vel adhuc agunt & disponunt, & hoc modo præparant intrare in regnum cœlorum, non hoc tribuant virtuti suæ, sed eidem gratiæ diuinæ. Quod enim hominibus impossibile est, non ipsis, quia & ipsi homines sunt, sed Deo facile est. Et l. 2. quæst. Euang. q. 47. Quid est quod ait: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei. Diuitem hic appellat cupidum rerum temporalium & de talibus sperantem.

VERSVS 27.

Tunc respondens Petrus, dixit ei: ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?

QVÆSTIO I.

Quomodo Apostoli reliquerunt omnia?

§. 1. Admirandi particula Petrus vitur; Nam admirabile est diuitias non amare, non tenere, illi vero sponte deseruerunt. Quædam exemplaria habent *ipse dixit, ecce Domine*. Petrum dubitasse nonnulli volunt, quod pauca reliquissent, vel quod amicis, vel parentibus non pauperibus reliquissent. Confidenter tamen loquitur & amicè, non exprobrat Christo officia. Quamuis enim pauca erant, videmus tamen pauperes & quietos à suis reculis haud difficulter auelli. Euthymius, Caicran. Iansen. putant Apostolos res relictas pauperibus non dedisse. Verum cum reliquerint, credibile est non abieccisse, sed pauperibus vel notis vel ignotis dedisse, neque enim ignorabant legem dilectionis nec dubitabant: Nam magno affectu parua reliquerunt, qui omnem spem magnorum abiecerunt.

§. 2. D. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 4. ad 3. Non

modo reliquisse omnia, sed voto etiam paupertatis se omnibus abdicasse, id ex Augustin. lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 4. habuit, qui hoc votum potentissimos, hoc est, Apostolos ait vouisse. Abdicatio vero ista ad perfectionem via erat, & visitata in posteris, quia potentissimorum valuit exemplum. Vouisse auetor est Hieronymus ad Heliodorum Epist. 1. cap. 6. Sed forsitan dicitur us: Quid ergo quisquam in ciuitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ ceteris? Dominum ausculta dicentem: si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni sequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam cum derelicta militia, te castrasti propter regna cœlorum: quid aliud quam perfectam seruatus es vitam? Perfectus autem Christi seruus, nihil præter Christum habet: aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, & si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est.

Insigne exemplum S. Antonii, de quo narrat S. Athanasius in vita ipsius. Post mortem autem parentum annorum circiter decem & octo seu viginti cum sorore admodum parua derelictus, & domus & sororis honestam curam gerebat. Necdum vero sex fluxerant menses, quibus ad ecclesiam (vt solebat) accitens, recordabatur quomodo & Apostoli omnibus spretis secuti fuissent Saluatorem, & multi vt legunt in actis Apostolorum facultatibus suis venditis precia ad pedes eorum detulissent egentibus patientia, quæ aut quanta spes in idem reposita esset in cæcis. Talia secum voluens intrauit ecclesiam, & accidit, vt tunc legeretur Euangelium in quo Dominus dicit ad diuitem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcumque habes & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Quo audito quasi diuinitus huiusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se dominicum traxit imperium: statimque regressus possessiones quas habebat vendidit. Erant autem ei trecentæ palmæ vberes & valde opimæ, quas vicinis largitus est, ne in aliquo aut sibi aut sorori molestia gignereur. Cætera vero quæ in mobilibus possidebat vniuersa vendidit, & aggregato non exiguo precio indigentibus dedit, paucis tamen ob sororem reseruatis, quæ & sexu & ætate videbatur infirmior.

Vide & Victorem Antiochenum, in cap. 10. Marci. Damascenum in historia Barlaam de Iosaphat, cap. 15.

QVÆSTIO II.

Quomodo hic relinquenda, quæ hic nominantur?

§. 1. D. Vobis modis deserere illa possunt. Primus est omnibus communis, & lege diuina præceptus, Ne quisquam patrem aut matrem aut alia Deo postponat, potiusque rerum omnium faciat iacturam, quam earum causa creatorem offendant. Alter est & legitimo, & licito omnium earum solatio se propter Christum abdicent, atque vt vno verbo dicam, imitentur Apostolos, qui se ipsa omnia deseruerunt.

§. 2. De posteriore rerum abdicacione sermo nent esse contextus satis ostendit. Etenim Christus non condit rerum deserendarum præceptum, sed consilium dat, & præmium proponit. Quamuis in posteriore etiam præceptum prioris includatur. Qui enim vt Deo seruiat omnia deseruit, ille certe omnibus Deum anteponeit, nec amore creaturæ creatorem offendit.

§. 3. Re-

Votum omnia relinquendi.

Antonium omnia reliquit.

Antonium omnia reliquit.